DE PRÆDICATIONE VERBI DEI INSTRUCTIO PASTORALIS AD CLERUM [J...

Jacopo Monico

Digitized by Google

Digitized by Google

NOS JACOBUS

TITULI SS. MM. NEREI ET ACHILLEI

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS MONICO

S. C. R. A. MAJESTATIS A CONSILIIS INTIMIS, I. R. ORDINIS AUSTRIACI CORONÆ FERREÆ I. CLASSIS EQUES, A SUPREMIS DIGNITATIBUS CORONÆ REGNI LONGOBARDI VENETI CAPPELLANUS

MISERATIONE DIVINA

PATRIARCHA VENETIARUM, DALMATIÆQUE PRIMAS

ETC. ETC. ETC.

Venerabili ac dilectissimo Clero Civitatis ac Diœcesis salutem et benedictionem

in

DOMINO.

Cum præcipuum sit Episcoporum munus, ut ait Concilium Tridentinum, prædicare Verbum Dei; neque ipsi possint per se omnibus populorum necessitatibus satisfacere, nihil iis potius esse debet, quam ut idoneos ad hanc Ministerii partem adimplendam sibi adjutores adsciscant. Quod quidem nobiscum animo reputantes, quotiescumque se se Nobis obtulit occasio, recentiores præsertim Presbyteros, qui hanc viam capessere optarent, identidem admonuimus de iis, quæ in sacro Oratore potissimum requiruntur. Verum

Digitized by Google

cum altius in animis defigantur, et diutius perseverent quæ oculis, quam quæ auribus hauriuntur; visum Nobis est aliquot hic regulas statuere, et cuicumque prædicatori observandas proponere, quibus obtineri possit, ut ea qua decet gravitate, integritate, ac reverentia, juxta generalia catholicæ Ecclesiæ, et peculiaria Dioeceseos Nostræ statuta, quocumque loco ac tempore Verbum Dei annuntietur. Hæc itaque sunt, quæ ad communem totius Cleri notitiam, et normam in lucem edi, ac divulgari mandamus.

I. Præter cætera, quæ jam vigent, Clericorum studia, cathedram etiam sacræ eloquentiæ in Seminario patriarchali instituimus, cujus Professor Feria V., quæ non sit dies festus, cujuscumque hebdomadæ, ab hora X. usque ad meridiem, pubblica de recta prædicandi ratione præcepta auditoribus tradet.

II. Omnes in Presbyteratus Ordine constituti, qui se ad concionandum vocari sentiunt, et quintum nondum annum in hoc officio bene obeundo expleverunt, hujusmodi scholam constanter adire, in ejusque exercitationibus diligenter versari debebunt.

III. Si qui aut id facere neglexerint, aut ita natura comparati sint, ut omni etiam adhibito studio ac labore, nullam tamen ad hoc munus idoneitatem consequi potuerint, ab illo exercendo se in perpetuum abstinebunt.

Digitized by Google

IV. In hujusmodi tyrocinio, prout uniuscujusque aetas, aut utilitas postulabit, duos aut plures annos insument, nec absolutam populum alloquendi facultatem obtinebunt, nisi prius bonum de se Professoris testimonium, et aliquod in privato Oratorio felicis experimenti specimen exhibuerint.

V. Qui hanc facultatem certis quibusdam temporis, aut loci limitibus definitam obtinuerint, eam continuo amittent, ubi eosdem limites quocumque modo prætergressi fuerint.

VI. Eamdem sibi facultatem statim sublatam esse scient, quantumvis absolute et jampridem obtentam, quicumque deprehensi fuerint in aliquod ex iis vitiis incurrisse, quæ inferius indicabimus.

VII. Qui Vicarii, aut Rectoris, aut Cooperatoris officium exercent, hac non ita se uti posse facultate arbitrabuntur, ut etiam invito, aut inconsulto Parocho, extraordinariam sibi assumant alibi prædicandi obligationem.

VIII. Quicumque de divinis ad populum mandatis verba facturus exsurgit, sciat se a vitiis, quibus ipse laboret, absterrere, atque ad virtutes, quibus careat, auditorum animos impellere, aut vix, aut ne vix quidem posse. Quare antequam *assumat testamentum Dei per os suum*, sibi consulat, atque in iis, quae mox prolaturus sit, meditandis diu multumque immoretur, ne sit *velut*

Digitized by Google

aes sonans, et cymbalum tinniens, aut ne, quod miserrimum esset, *dum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur.*

IX. Quemadmodum *cum imperio docetur quod prius agitur, quam dicatur; ita cujus vita despicitur, necesse est, ut ejus prædicatio contemnatur.* (Syn. Corr. de Præd. Verbi Dei 1741.) Quod cum verissimum sit, curet primum sacer Orator, ne quid in capillorum concinnitate, in vestium cultu, atque in tota communis vitæ ratione præseferat, quod sæcularem levitatem redoleat; deinde, ut talem se ostendat exterius, qualis interius esse debet, factorem nempe legis, quam christiano populo servandam proponit; *ne qui aliorum vulnera, medendo, ad salutem revocat, ipse per negligentiam suæ salutis intumescat, ne proximos juvando, se deserat, ne alios erigens cadat.* (S. Greg. Regula Pastoralis P. IV.)

X. Cum tantum ad promovendam majorem Dei gloriam, et animarum salutem procurandam instituta sit evangelica prædicatio, profanus ille esset, atque indignus Verbi Dei prævaricator, qui illud aut inanis gloriæ cupiditate, aut turpis lucri gratia, aut cujuslibet temporalis commodi spe illectus nuntiandum susciperet.

XI. Itaque ad tollendam omnem harum rerum suspicionem, cavebit summopere Evangelii præco, ne ante prædicationem de sibi danda mercede paciscatur, ne postea de ejus tenuitate

Digitized by Google

conqueratur, neve permittat, quantum in se erit, ut musicis, aut poeticis, aut graphicis, aut aliis id genus popularis auræ significationibus sibi plaudatur. Si quis hujusmodi ineptiis assensum præbuisse dignoscatur, omni deinceps, nulla in contrarium consuetudine suffragante, prædicandi facultate privabitur.

XII. Si frequentes, et benevolos habeat auditores, atque adeo si quid frugis ex laboribus suis colligat, nunquam id sibi arroget, tamquam ingenii, aut eloquii sui fructum, sed divinæ, ut par est, acceptum referat Bonitati, cujus se infirmum agnoscat esse instrumentum. Sin vero aliter fiat, auditorum paucitatem, aut duritiem minime incuset, sed potius persuasum habeat culpa sua id evenire, atque inde occasionem arripiat se magis humiliandi coram Deo, et plus studii ac precum adhibendi, ut omnia, ex parte sui, efficaciæ Verbi Dei impedimenta removeat.

XIII. Tridentina Synodo ita præcipiente (Sess. V. Cap. 2. de Reform.) *nemo in ecclesiis Nobis subjectis, nisi obtenta a Nobis*, sive a Vicario Nostro generali, *facultate, et Fidei professione emissa, prædicare audeat, sive sit Sæcularis, sive Regularis: imo nec in Regularium ecclesiis quisquam Verbum Dei administrare, nisi prius se Nobis præsentaverit, ad petendam Nostram Benedictionem, et Nostra monita audienda:* (Syn. Corr. ut supra.)

Digitized by Google

XIV. *Regulares cujusqumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, et scientia examinati, et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint.* (Conc. Trid. Sess. V. C. 2. de Reform.)

XV. *Regulares missi ad crates Monialium pro munere prædicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt censuras et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis.* (Sacra Congr. Conc. die XXI. Maji a. 1678.)

XVI. *Prohibentur sub pœna excommunicationis Papæ reservata, redarguere aliquem expresso nomine in actu prædicandi.* (Conc. Later. V. Sess. XI. Const. I.) Nec non *indicere determinatum tempus futurorum, ut Antichristi, vel Judicii, et novas inspirationes, vel revelationes, nisi a Papa vel loci Episcopo sint examinatæ et approbatæ.* (Conc. Later. loco cit.)

XVII. *Corripiendi sunt ab Ordinario, et Ministerio abjiciendi Prædicatores deviantes a communi sensu Patrum in exponendis sacris Scripturis* (Conc. Mog. IV. Cap. 50.): *Obloquentes de Magistratu, vel de Episcopo coram populo* (Conc. Mediol. I. tit. de præd. Verbi Dei):

Digitized by Google

Disseminantes errores, aut scandala in populum (Conc. Trident. Sess. V. C. 2. de Reform.): *Narrantes dubia pro certis, apocrypha, comica, anilia, fabulas, obscœnitates, aut quæ risum movent* (Conc. Trevir. II. Cap. 4.): *Item referentes miracula nova nisi per Episcopum sint approbata* (Conc. Senon. in Decr. morum 40.): *Aut gratias, beneficia, etc. quæ præsumuntur accepta a Deo, per intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, nisi fuerit canonizatus, vel beatificatus.* (Urb. VIII. Const. 37. incip. *Sanctissimus.*)

XVIII. Concionatores alienigenæ huc advenientes exhibebunt Curiæ Nostræ patriarchali litteras dimissoriales Ordinarii sui, et patentes, si eas habeant, pro audiendis Confessionibus, et simul cum ceteris omnibus ad Nos accedent Feria II. post Quinquagesimam, hora meridiana, ut Fidei professionem in manibus nostris emittant, et Benedictionem de more petant, et accipiant.

XIX. Tempore Adventus, Quadragesimæ, atque etiam Paschatis, antequam verba faciant ad populum, dicent semper Salutationem angelicam; nec prolixius e suggestu loquentur, quam par est, ut Missa, quæ sermonem subsequi solet, intra primam post meridiem horam absolvatur, et, si vespere id fiat, dimidio ad summum horæ post solis occasum Ecclesia claudi possit. Nullam inter concionandum eleemosynam a populo pe-

Digitized by Google

tent præter eas, quas juxta consuetudinem, aut Superiorum jussu Parochus eis indicabit.

XX. *Habentes jus nominandi prædicatorem quadragesimalem aliunde accersitum, debent illum Nobis nominare, et præsentare duobus saltem mensibus, et amplius, si procul absit, ante Quadragesimam: aliter nulla habebitur ejus nominatio et præsentatio* (Ex Decr. S. Congr. Concil. in Narnien. XXIV. Febr. 1623.)

XXI. *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, etc. Itaque, ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.* (Concil. Trident. Sess. V. c. 2. de Reform.)

XXII. Ordinaria Parochorum prædicatio, diebus supra memoratis, esse debet popularis Evangelii explanatio, et tradita post recitationem Doctrinæ christianæ vernaculo idiomate cateche-

Digitized by Google

sis, præter quotidianam, tempore quadragesimali, puerorum instructionem in Ecclesia.

XXIII. *Credimus non perpolitam et elaboratam concionem a Parochis habendam, sed familiari facilique dicendi genere ipsos uti debere ad populi intelligentiam accomodato. Caveant tamen, ne se ab hoc officio liberos et immunes existiment, eo quod nullo unquam tempore hujusmodi consuetudo exstiterit, vel quod hæc provincia aliis ecclesiis satis superque demandata sit; neque tandem exiguum populi numerum pro causa excusationis afferant... Insuper non modo Tridentina Synodus contrariam consuetudinem penitus abrogavit, sed etiam Innocentius XIII. omnes excusationis causas de medio abstulit.* (Prosper Lambert. postea Benedictus. XIV. Instit. X. n. 2.)

XXIV. Denique in hisce paucis divini Præceptoris verbis totam prædicandi scientiam sitam esse arbitramur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. XVI. 15. Tunc enim vere prædicabit Orator, cum gravi ac simplici stylo utatur; cum neque obsoletas e tenebris eruat, neque novas condat, neque barbaras aliunde excerpat locutiones; cum demum ita vocem, gestum, ac totius corporis habitum moderetur, ac temperet, ut nihil ostentet, quod scenicum sapiat, quod audientium aures, aut oculos laedat, quodque dignitatem viri, qui pro Christo legatione fungitur, vel minimum dedeceat. Prædicabit autem

Digitized by Google

Evangelium, cum aut rejectis, aut parce admodum adhibitis poeticis descriptionibus, profanis historiis, nec non philosophicis, theologicis, aliisque magis accademiæ, quam ecclesiæ propriis disputationibus, iis tantum enucleandis, explanandisque instet, quæ in hoc divino Codice, ac cœteris sacræ Scripturæ libris continentur, et quæ a sanctis Patribus, aliisque divinarum rerum doctissimis Viris pertractata fuerunt; nec erubescat, quemadmodum a quibusdam nostrorum temporum oratoribus fieri assolet, aliquem sancti Evangelii latinum textum sermonibus suis præfigere, ac reliquæ dictioni, pro opportunitate, passim interserere; ex quo difficile dictu est quantum dignitatis, ac ponderis orationi adjungatur. Demum praedicabit *omni creaturæ*, cum non tantum in magnis urbibus, aut in nobilioribus hominum conventibus, sed etiam in pagis et villis, quocumque mittatur, legem Domini annuntiet, et sit paratus non minus ad rusticos, pauperes, ac pueros instruendos, si opus fuerit, in primis Fidei rudimentis, quam ad corruptos civium mores acriter insectandos, diversa utens pro auditorum et rerum diversitate argumentandi, loquendique ratione, et reputans cum Apostolo Paulo, se aeque *sapientibus ac insipientibus debitorem esse.*

Haec vero, quae raptim et cursim attigimus, uberius quidem et fusius in schola, quam instituimus, explicabuntur. Vos itaque in primis, di-

Digitized by Google

lectissimi in Christo Filii, et Fratres, qui nuper in sacrum Presbyterorum coetum cooptati estis, quantum possumus admonemus, atque hortamur in Domino, ut, si apta ad concionandum naturae dona sortiti estis, ea summo studio ac labore magis magisque perficienda curetis. Praecepta, quæ vobis tradentur, defigite in animis vestris. Ea vero cum ex ore ipsius Professoris, tum ex libris, qui hunc in usum prodierunt, facile haurire poteritis. (*) Proponite vobis imitanda probatissima sanctorum Patrum, ac præcipue sancti Joannis Chrysostomi exempla, in quæ semper oculos animumque intenderunt celeberrimi omnium temporum ac locorum Oratores. Hos etiam frequenter consulite, ut ex iis rectam imitandi viam, et rationem discatis: præsertim vero Pauli Segneri Opera continenter evolvite, in quibus, si nonnulla excipiatis sæculi potius, quam auctoris vitia, sacrum Oratorem numeris omnibus absolutum habebitis. Illud autem in primis pro certo habetote, ingenium, studium, et quidquid aliud humanum est, aut nihil, aut parum admodum valere ad prædicationis finem obtinendum, nisi auxilium accedat ab alto. Quare *in spiritu humilitatis* prosternite vos ante Deum, et dicite illi cum Psalmista: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam* (Psal. L.), aut illam, quæ in sacrificio Missæ ante Evangelium ponitur, precationem corde magis, quam

Digitized by Google

314

ore prolatam sæpius iterate. Quibus adjumentis eloquentiam illam assequemini, non fuco illitam et calamistratam, quæ inanem verborum sonum edit, sed gravem, ingenuam, et quasi matronali dignitate spectabilem, quæ vere auditores instruit ac movet, quae oratorem sapientibus viris commendat, quaeque jamdiu viguit in hac Urbe, et ut semper vigeat ac floreat vestrum erit efficere.

Interim accipite, quam Vobis paterna charitate impertimur, pastoralem Benedictionem.

Sequitur. p. 317

(*) Inter hujusmodi libros novissime editos duos illos potissimum commendamus, quorum alteri titulus: *Lettere a Teotimo di Mons. Can. Agostino Peruzzi di Ferrara sulla sacra Eloquenza.* Bologna 1844; alteri autem: *Le guide de ceux qui annoncent la Parole de Dieu, par M. de Baudry, ancien Directeur du grand Seminaire de Lyon. Lyon* 1843; quem in italicam linguam transferendum et mox publicandum mandavimus.

Venetiis ex Ædibus Patriarchalibus
Postr. Kal. Decembris Anni MDCCCXLIV.

✠ J. CARD. MONICO PATR.

D. Jo. Bapt. Ghega Cancellarius Patr.

Ant. Cordella Typ. Patr.

99 · 94 86 10 Google

Digitized by Google